



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark Brandenburg**

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

**Riedel, Adolph Friedrich**

**Berlin, 1847**

XXXV. Der Papst Cölestin III. verleihet dem Propste (Heinrich) die Ehre, die Mitra, den Ring, Handschuhe und Sandalen zu tragen, am 18. März 1197.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54048](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54048)

**XXXIV.** Der Bischof Norbert verleiht dem Domcapitel das Patronatsrecht über die Kirchen in Dehne und Göhlsdorf, am 6. Dezember 1195.

In nomine sancte et individue Trinitatis. Ego Norbertus, dei gratia Brandenburgensis episcopus. Notum esse volumus tam futuris quam presentibus universis Christi fidelibus, quod nos ob spem vite perhennis et instantiam dilecti ac fidelis nostri, Brandenburgensis prepositi, ecclesias in villis, Oyne videlicet et Golisdorp, in Juterbuck sitis, quas a domino Magdeburgensi archiepiscopo pro decimis nostris in concambio recepimus, ecclesie Brandenburgensi contulimus, sub ea determinationis forma, ut sacerdos, scilicet Olricus, qui nunc eas a nobis tenet, ipsas absque stipendii sui dispendio, quoad vixerit, a nobis teneat, post obitum autem ipse prefata Brandenburgensis ecclesia possessione et usufructu earum libere gaudeat. Ut igitur hec nostra donatio perpetua, firma et illibata permaneat, eam scripto commendatam sigilli nostri impressione communicavimus, et ne quis eam infringat, autoritate dei et beatorum apostolorum Petri et Pauli ac nostra sub anathemate prohibemus, adhibitis idoneis testibus, quorum nomina sunt hec: Hinricus, prepositus Brandenburgensis, Hinricus, ejusdem ecclesie prior, Guncellinus, cellerarius, Godescalcus, camerarius, Walterus, sacerdos in Harlungathe, Hermannus, sacerdos de Nowen, Gozwinus, sacerdos de Markowe, laici vero Otto, marchio Brandenburgensis, et frater ejus Albertus comes, urbani Brandenburgenses Otto, Hinricus, item Hinricus, Bartholomeus, Gerardus et alii quam plures clerici et laici. Acta sunt hec in ecclesia Brandenburgensi anno incarnationis dominice M<sup>o</sup>. C<sup>o</sup>. XCV<sup>o</sup>. die VIII. idus Decembris, indictione X.

Nach dem Copialbuche. — Ungenau und mit einem nicht in der Copie stehenden Zusätze unter den Zeugn in Gercken's Stifsch. S. 392.

**XXXV.** Der Papsf Celestin III. verleiht dem Propste (Heinrich) die Ehre, die Mitra, den Ring, Handschuhe und Sandalen zu tragen, am 18. März 1197.

Celestinus, episcopus, fervus servorum dei, dilecto filio, preposito de Brandeburg, salutem et apostolicam benedictionem. Licet semen verbi divini a quocunque prolatum pretiosum existat, nec quo habitu predicator utatur, sed quid predicet, sit potius attendendum, quia tamen in oculis hominum ornatus attenditur vestium et sermonum, instituta sunt in dei ecclesia insignia dignitatum, quibus in dei officiis et verbi propagatione divini illi tantum utantur, quibus de apostolica fuerit benignitate indultum. Eapropter, dilecti in domino filii, tuis postulationibus annuentes, qui in medio nationis prave et perverse, scilicet inter Slavos et inimicos Christiani nominis constitutus, aliquibus postulas insigniis decorari, ut doctrine pabulum salutaris et verbum fidei, quod eorum cordibus assidua predicatione infundis, ab eis tanto gratius et facilius admittatur, quanto pluribus te viderint insignitum, usum mitre, annuli, cirothecarum et sandaliorum infra ecclesiam tuam sollempnibus tantum diebus, cum verbum predicationis duxeris proponendum, in missarum sollempniis ad preces nobilis viri, Sifredi, comitis et castellani in Brandeburg, persone tue auctoritate presentium indulgemus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc nostre paginam concessionis infringere vel ei ausu temerario con-

traire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis dei et beatorum Petri et Pauli, apostolorum ejus, se noverit incursum. Datum Laterani XV. Kal. Aprilis, pontificatus nostri anno sexto.

Nach dem Originale.

**XXXVI. Markgraf Otto II. spricht die Unterthanen des Domcapitels von allen öffentlichen Abgaben und Lasten frei, i. J. 1197.**

— Ego Otto, dei gratia hujus nominis secundus marchio in Brandeburch, ecclesiam beati Petri, principis apostolorum, prepositum, canonicos et eorum successores in Brandeburch, regulam ordinis Premonstratensis profitentes, quos Wilmarus, pie memorie Brandenburgensis ecclesie tertius decimus episcopus, consilio et auxilio domini Wigmanni, Magdeburgensis, ecclesie archiepiscopi, et magno studio patris mei Ottonis, marchionis Brandenburgensis, et aliorum principum quam plurimum de Pardwin in episcopalem sedem, in urbe videlicet Brandeburch, que est caput marchie, in qua nunc deo militant, transposuit, sub protectione mea pro eo, quod in prefato capite marchie sunt constituti, secure suscipio, quoniam quidem dignum et justum est et satis usitatum, unumquemque hominem caput suum defendere, curare et specialibus libertatibus munire, ut capite securo cetera membra sint sine periculo. Ea propter libertatem, quam clericis imperiali sanctio divinitus per ora principum promulgata promittit, seu etiam canonica constitutio contradidit, et ego Otto eidem ecclesie preposito et canonicis perpetuo jure inconvulsam manere discerno. Insuper homines subditos et familiam ecclesie prepositi et canonicorum predictorum ab omni servitio, exactione, petitione, contributione, angaria, perangaria, theolonio, hospitibus et vexationibus a quibuscumque personis in perpetuum liberos et perpetua tranquillitate gaudere permitto et ordino. Preterea grandis lucta contra servos dei preparatur, dum hii, qui divinis obsequiis se tradiderunt, a bono contemplationis abstracti iudicibus secularibus adesse compelluntur, quibus utique super ecclesiis, personis ecclesiasticis et rebus ecclesie temporalibus et spiritualibus invadendi, detinendi, arrestandi, iudicandi vel quolibet alio modo nulla sit attributa potestas. Iniquum enim est et sacrilegii instar, ut, que pro salute et requie animarum unusquisque venerabili ecclesie contulerit, aut reliquerit, ab hiis, quos maxime fervare et defendere convenerat, in alterum transferantur. Ob hoc pro anime mee, parentum et quorumcumque successorum meorum animarum salute sempiterna prefatis ecclesie preposito et canonicis specialem gratiam et libertatem donando et appropriando indulgeo in perpetuum: Quod ego, Otto marchio predictus, ac heredes et successores mei nec non mei et heredum ac successorum meorum quicumque officii et alii cujuscumque conditionis vel status extiterint, qui ipsius ecclesie seu eorundem prepositi et canonicorum homines subjectos, familiam, villas, grangias, domus, ortos, vineas, maneria, ligna, prata, pascua, aquas, piscarias, fructus, census, redditus, proventus, ac alias res, possessiones atque loca, consuetudines, libertates, jura, jurisdictiones temporales et spirituales etiam in causis civilibus inter laicales personas de antiqua et hactenus pacifice observata consuetudine nec non donata vel in infirmitate seu ultimis voluntatibus ipsi ecclesie vel ad ipsius ecclesie fabricam seu structuram aut preposito seu canonicis predictis pro salute animarum etiam in absentia iudicum vel potestatum secularium seu heredum aut propinquorum donantium, legantium vel assignantium legata seu assignata nec non